DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

ACTIONIBUS PETITORIIS, POSSESSORIIS, MIXTIS ET PRÆJUDICIALIBUS aliisque REMEDIIS cognatis;

Quam

Divina favente Gratia,



EX DECRETO

AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS,

PRÆSIDE

DN. JOHANNE GRAVIO, U. J. D.

& Canonici Praxeosque Professore, h. t. Facult. Decano,

Pro

Doctoratus in Utroque Jure honoribus & privilegiis legitime consequendis

Publico Eruditorum examini

Subjicit

JUSTUS FRIDERICUS CRAMER, Suinf. Franc. judicii Aul. Würtemb. Advocatus,

IN AULA NOVA

Ad diem Maji

Horis consuetis

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISI,

ANNO M. DC. LXVIII.



Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

IUbentibus ita Amplissimæ Facult. jurid. Statutis, Disputationis Inauguralis nomine, occasione similis de Conditionibus, à commilitone & amico meo honoratissimo, Dn. Schmid, nuper hîc habitæ, reliquas actiones strictim proponere operæ pretium fore pariter arbitratus sum: cùm in notitia actionum totius jurisprudentiæ potissimam partem & quasi clavem consistere deprædicent Dd. mihique in praxeos studio pagellas hujusmodi instar breviarii profuturas esse ipse existimem.

CLASSIS I.

Continens actiones petitorias.

ACtio petitoria, hîc stricte sic dicta, (cùm latè comprehendat personalem *l. 178. §. 2. ff. de V. S.*) est actio realis, quâ de una ex his quatuor juris in re speciebus, nempe Dominio, Hereditate, Servitute vel Pignore principaliter disquiritur. *arg. d* §. 2. Hahn. ad *π. Wesemb. ff. de judic. n. 8.*

SECTIO I.

ET quidem Dominium dicitur jus, quo res nostra est; *l. 9. l.* 1.
23. pr. ff. de R. V. Estque (1.) verum vel fictum, (2.) Liberum

rum vel restrictum, (3.) plenum vel minùs plenum; hocque minùs plenum rursus (4.) directum vel utile, (5.) revocabile vel irrevocabile, (6.) Naturale vel civile; *de quibus Dd. ad Tit. de R. V. & acquir. rer. dom.*

Ex Dominio

2 itaque vero, libero, restricto, *l. 9. ff. de R. V. & l. 24. ff. de Act. rer. amot.* pleno & minùs pleno directo, *l. 33. vers. hac ratione. ff. de R. V.* revocabili, irrevocabili, *l. 60. ff. eod.* & civili, *arg. l. 9. C. de R. V.* oritur Rei Vindicatio directa, *dd. ll.* quæ est actio Civilis, §. *3. Inst. de Act. junct.* §. *1. eod.* singularis, *l. 1. pr. & §. 1. ff. de R. V.* competens rei corporalis domino, *l. 23. pr. ff. eod.* vid. tamen *c. 3. de sent. & rejud. in 6to.* contra ejusdem possessorem vel detentorem, *l. 9. ff. d. R. V.* ut actor rei dominus declaretur & res, regulariter cum omni fructu & causa, *l. 17. §. 1. & l. 20. ff. de R. V.* eidem restituatur.

3 Ex Dominio autem vero quidem, sed minùs pleno utili tantùm, datur utilis Rei Vindicatio, utpote vasallo, pro vindicanda re feudali, *2. Feud. 8. vers. rei autem.* item superficiario pro sua superficie, *l. 73. & seqq. ff. de R. V. & l. 16. §. 2. ff. de pign. act.* nec non Emphyteutæ; quæ hujus respectu Dd. etiam dicitur Act. Emphyteuticaria, *de qua t. t. ff. si ager vectig.* à Prætore introducta, *arg. l. 75. ff. de R. V. Dd. ad l. 1. in fin. ff. si ag. vectig.* competens scilicet Emphyteutæ contra quemvis rei emphyteuticariæ possessorem, licèt quoque sit ipse dominus directus, *l. 1. in fin. ff. eod.* modò hoc casu actor canonem suum illi solverit, *l. 2. ff. eod.* ut declaretur, actori jus emphyteuseos in ista re esse constitutum, & reus compellatur, cum omni causa & fructu eam restituere. *arg. d. l. 1. in fin. l. 17. ff. de R. V. l. 7. §. 8. de public. in rem. act.* Utilem hanc rei vindicationem etiam contra eum, qui pro possessore habetur, ut qui liti se fraudulenter obtulit. *l. 25. & seq. ff. de V. R.* aut dolo malo ante litis contestationem possidere desiit, *d. l. 25. & 27. §. 3. ff. de R. V. & similib.* & ob alias æquitatis causas à Lege concedi notant *Dd. ad Tit. de R. V.*

4 Cæterùm ex Dominio ficto sequentes resultant actiones Prætoriæ:

1. Publi-

1. Publiciana, *§. 4. I. de Act. l. 1. pr. ff. de public. in rem Act. l. 35. pr. ff. de O. & A.* quæ datur ei, qui rem aliquam, ſive corporalem, ſive incorporalem, *l. 11. §. 1. ff. de publ. in rem Act.* uſucapi non prohibitam, *d. l. 11. §. 2. & ll. ſeqq. eod.* à non domimino, vel eo, qui poteſtatem alienandi non habuit, *dd. ll.* bonâ fide, *l. 7. §. 11. & ſeqq ff. d. t.* ex juſta cauſa ſeu titulo, ad transferendum dominium habili, *l. 3. §. 1. ff. eod.* verâ vel fictâ ſeu quaſi traditione accepit, *l. 9. §. 1. l. 11. §. 1. eod.* ſed ante uſucapionis impletionem *l. 1. pr. & §. 1. eod.* ejus poſſeſſionem iterum amiſit, *l. 6 ff. d. t.* ipſiusque heredibus, *l. 7. §. 12. eod.* contra rei illius poſſeſſorem, latè ſic dictum (*quatenus ſcil. includit detentorem & eum, qui in jure pro poſſeſſore habetur*, vid. *l. 12. pr. arg. l. 7. §. 8. ff. de publ. in rem act. junct. l. 25. 26 & 27. §. 3. ff. de R. V.*) jusque infirmius præ actore habentem, *l. fin. in fin. ff. de publ. in rem. act.* vid. tamen *l. 16. & 17. ff. eod.* Cujac. *lib. 10. obſ. c. 6.* Oldendorp. *Claſſ. 3. Act. 3. n. 4.* ut res illa actori ſub colore dominii, per uſucapionem acquiſiti, *§. 4. I. de A.* cum omni cauſa & fructu reſtituatur. *arg. l. 7. §. 8. ff. h. t. junct. d. l. 17. §. 1. & l. 20. ff. de R. V.* 5

2. Reſciſſoria, *§. 5. I. de A. l. 35. ff. de O. & A.* (quam nonnulli interpretes etiam publicianam, *propter l. 35. pr. in fin. ff. de O. & A. Coll. Argent. ad d. t. Th. 31.* Vultejus verò quaſi publicianam vocat *in ſua jurispr. Rom. lib. 2. c. 23. §. 14.*) quæ datur ei. qui verum rei dominium habuit, ſed eo excidit, dum ipso ex juſta, vel alio (uſucaptore nim.) ex qualibet cauſa abſente, *l. 1. §. 1. ff. ex quib. cauſ. maj.* res iſta ab alio illo eſt uſucapta, ejusque heredibus, *l. ult. C. ex quib. cauſ. maj.* contra quemcunque rei illius poſſeſſorem, *l. 17. pr. & l. 30. §. 1. ff. d. t.* ut actor rei dominus, perinde ac ſi illa uſucapta non eſſet, declaretur, *§. 5. I. de A.* resque ipſi cum omni cauſa & acceſſione reſtituatur. *l. 28. §. fin. ff. ex quib. cauſ. maj.* 6

3. Pauliana, *l. 38. §. 4. ff. de uſur.* quæ itidem juxta veriorem ſententiam eſt realis, *§. 6. I. de A. l. 1. pr. ff. quæ in fraud. credit.* daturque creditoribus, in bona debitoris immiſſis *d. §. 6. I.* & ſe ab illo per rerum ipſius alienationem, *l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. & ult. ff. quæ in fraud. credit.* doloſâ intentione & eventu, factâ ſcil. ex- 7

cussione bonorum, solvendo non sufficientium, *l. 1. C. qui manum. non possunt.* defraudatos deprehendentibus, *l. 10. §. 1. ff. d. t.* eorumque heredibus & quibuscunque successoribus, *d. l. 10. §. fin.* vel curatori bonorum, *l. 1. pr. ff. eod.* contra eum, qui ab ejusmodi debitore rem aliquam titulo sive oneroso, non ignarus debitorem non amplius esse, aut tamen post ejus rei alienationem non amplius fore solvendo, *l. 10. § 2. & seqq. ff. d t.* sive lucrativo, conditionis illius etiam ignarus accepit, *l. 6. §. 11. ff eod.* ejusque successores quà possessores, *l. 10. §. fin. & l. seq. ff. eod.* vid. tam. *l. 9. eod.* ad rem dicto modo alienatam cum fructibus, tempore alienationis rei cohærentibus vel post Litem contestatam perceptis, *l. fin. §. 4. ff. d. t.* vid. etiam *l. 19. ff. de jure Fisci.* revocandam, perinde ac si alienatio illa facta non fuisset. *d. l. 10. §. 22.* vid. *l. 6. §. 11. eod.*

SECTIO II.

Ex Hereditate,

1 [Quæ latè hîc accepta ejusmodi est jus, quo universa bona defuncti jure Civ. vel Prætorio quis consequitur, *l. 1. & 3. ff. de heredit. pet. l. 138. ff. de V. S. pr. I. de Bon. poss.*] oritur

2 1. Hereditatis petitio, *l. 2. ff. de fideicommiss. hered. pet.* strictè seu in specie sic dicta, quæ est actio Civilis, *arg. l. 1. & 3. ff. de hered. pet. & l. 2. de fid. hered. pet.* universalis, *arg. l. 1. ff. de R. V.* mixta, quoad res ipsas scil. & præstationes personales, *l. 7. C. de pet. hered. l. 16. §. 7. l. 25. §. 18. l. 27. §. 1. ff. eod.* directa vel utilis. Directa competit heredi, sive testamentario sive legitimo, *l. 1. ff. h. t.* sive primi sive ulterioris gradus, *l. 3. ff. eod. l. 65. & 70. pr. ff. de V. S.* sive ex asse heres sit sive ex parte, *l. 10. ff. de hered. pet. l. 1. §. 1. ff. si pars hered pet* contra eum, qui bona defuncti, (sive dominii, sive possessionis aut saltem detentionis jure apud ipsum extiterint, *l. 19. ff. h. t.* vel post mortem illius hereditati quomodocunque accesserint *l. 20. pr. & §. 3. eod.*) aut omnia, aut aliquid ex illis, sive rem sive jus, *l. 9. & 10. pr. l. 13. §. ult. junct. l. 42. ff*

42. ff. d. t. cujuscunque generis sit, modò non sit servitus, *l. 19. §. 3. ff. eod.* pro herede vel pro possessore possidet, *l 9. junct. l. 11. & seqq. ff. & l. 7. C. h. t.* ad id, ut actor heres declaretur, *l. 3. ff. eod.* Oldend. *Class. 5. Act. 5. num. 9.* & consequenter reus ad bona hereditaria, cum omni accessione & fructu restituenda, *l 25. §. fin. & ll. seqq. ff. eod.* nec non præstationes personales condemnetur. *arg. d. l. 25. §. 18.*

Utilis Heredit. petitio datur emtori hereditatis, *l. 54. pr. ff. de hered. pet.* ut & contra singularem successorem, & quidem, si malæ fidei possessor sit, indistinctè; *l. 13. §. 8. & 9 ff. eod.* si verò bonæ fidei, tunc datur, si actori cæteroquin consuli nequeat, vel non è re ipsius sit, autorem hujusmodi successoris convenire. *d. l. 13. §. 4. & seqq.* 3

2. Possessoria Heredit. petitio, *l. 1. & 2. ff. h. t.* quæ est act: Prætoria, *d. l. 1. & 2.* competens omnibus iis, quibus Prætor, *pr. I. de Bon. poss.* vel hodie quilibet judex *l. ult. C. qui admitt. ad bon. poss.* Bonorum possessionem seu jus persequendi patrimonii sive rei, quæ cujusque, cùm moreretur, fuit, *l. 3. §. 2. ff. de bon. poss.* concessit; in reliquis, quoad subjectum passivum, seu adversus quem detur, & effectum, convenit cum heredit. petit. Civili, *arg. l. 1. & 2 ff. de bon. poss.* 4

Conceditur autem hæc Bon. possessio vel ex Decreto, regulariter cum causæ cognitione pro tribunali; *l. 2. §. 1. ff. quis ord. in poss. serv.* unde etiam Decretalis vocatur: *l. 1. §. 7. ff. de success. Ed.* qualis est (1.) Carboniana, quæ, ad implorationem Nobilis Officii judicis, *l. 3. §. 4. ff. de Carb. Edict.* liberis impuberibus, quibus quæstio status movetur, utrùm sint legitimi, datur in tempus pubertatis, præstita tamen cautione de bonis restituendis, si tales non esse comperiatur; *l. 1. §. 1. ff. & C. it. l. 3. & seqq. ff. de Carb. Ed.* (2.) Bon. possessio Ventris nomine, quæ, dicto jud. Officio pariter implorato, *l. 1. pr. ff. de vent. poss mitt.* datur viduæ prægnanti, si is, qui in utero est, editus defuncto sit successurus & tamen ab eo in testamento præteritus, *l. 1. pr §. 1. 2. & 14. l. ult. ff. d. t.* ut, usque dum partus fuerit editus, alimenta à 5

curatore, eam in rem constituto, accipiat & bona custodiæ causa detineantur. *d. l. 1. §. 19. & 27.* ac (3.) agnoscendæ seu ordinandæ litis causâ, quæ datur liberis emancipatis exheredatis, ut querelam inofficiosi testamenti instituere possint; *l. 6. §. fin. l. 7. ff. & l. 2. C. de inoff. test.* Francisc. de Barry *de Success. ab intest. lib. 18. tit. 2. num. 5.* ubi tamen hoc in judiciis non amplius observari ait. Vel conceditur ex Edicto, certâ scil. ejus parte, regulariter sine causæ cognitione; *l. 2. §. 1. ff. quis ord. in poss. serv.* unde & Edictalis dicitur; *l. 1. §. 4. ff. si tab. test. null. extab.* hæcque est aut ordinaria aut extraordinaria. Ordinaria datur vel (1.) secundùm Tabb. testamenti, *t. t. ff. si tabb test. ex tab.* & quidem directa omnibus nempe iis, qui in illis scripti sunt heredes, sive sui sive extranei; utilis verò etiam nuncupatis, *l. 8. §. fin. ff. de bon. poss. sec. tabb.* vel (2.) contra Tabb. *t. t. ff. & C. de bon. poss. contra tabb.* liberis videlicet emancipatis, *§. 3. I. de exhered. liberor.* item suis, *l. 1. pr. ff. de bon. poss. cont. tabb.* & posthumis, qui sui futuri erant, à patre in testamento præteritis, *l. 2. C. d t.* vel (3.) ab intestato, *ff. si tabb. test. nulla extab.* idque juxta certos ordines, quorum primus est liberorum, *ff. & C. unde liberi.* alter legitimorum, *ff. & C. unde legit.* tertius cognatorum, *ff. & C. unde cogn.* quartus conjugum. *ff. & C. unde vir & uxor.* Estque petenda hæc bon. possessio à liberis & parentibus intra annum, computandum ex eo die, quo sciverunt, eam sibi competere; à reliquis verò extraneis intra centum dies. *t. t. C. qui admitt. ad poss. & intra quod temp.* Extraordinaria datur ex nova Lege, SCto aut Constit. Princip. *§. 3. I. de Bon. poss. l. un. ff. ut ex Leg. SC. vel Const.*

6 3. Fideicommissaria Heredit. petitio, *l. 1. ff. h. t.* quæ itidem Prætoria est, *arg l. 2. ff. eod.* daturque fideicommissario universali, cui hereditas vel illius pars ab herede fiduciario est restituta, *d. l. 1.* ejusve successori, Civili aut Prætorio, *l. 3. ff. eod.* contra quemvis, qui hereditatem pro herede vel pro possessore possidet, *arg. l. 2. ff. h. t.* ut actor heres fideicommissarius declaretur & hereditas cum omni causa & accessione illi restituatur. *arg. d. l. 2.*

Contra

Contra ipsum verò heredem fiduciarium, qui hereditatem adiit, sed fideicommissum solvere detrectat, datur dicto Fideicommissario pro consequendo fideicommisso non Actio ex Testamento (secus ac nonnulli statuunt) sed persecutio extraordinaria seu imploratio Nob. Officii judicis; *l. 178. §. 3. ff. de V. S.* Quod remedium etiam competit, si heres fiduciarius nolit adire hereditatem, ad id, ut eam adeat ac fideicommissario restituat; *l. 14. §. 4. & 71. ff. ad SCtum Treb.* vel, si aditionem planè recuset, ut fideicommissarius ad eandem hereditatem admittatur. *Nov. 1. cap. 1. §. 4. & c. 2. in fin.* 7

8 Item si quis heres rogatus sit alii restituere quicquid post mortem suam (heredis scil. fiduciarii) ex illa hereditate superfuerit, tunc regulariter non licet integram hereditatem absumere, sed ad minimum quartam ejus partem fideicommissario relinquere tenetur; & pro consequenda hac quarta datur ejusmodi fideicommissario Condictio ex Nov. 108. c. 1. Contra tertium verò possessorem quartæ hujus alienatæ datur Rei Vindicatio, vel Act. Hypothecaria. *d. Nov. 108. c. 2.*

4. Querela inoff. Testamenti, *pr. I. l. 1. & 2. ff. & t. t. C. de inoff. test.* quæ est act. propriè dicta, *l. 12. §. 2. ff. d. t.* realis, Civilis, *arg. N. 18. c. 1. in fin.* & in subsidium, deficiente scil. alio juris remedio, *§. 1. I. d. t.* datur I. Liberis, tam posthumis quàm jam natis, *d. §. 2. in fin. l. 6. pr. ff. & l. 3. C. h. t.* legitimis & naturalibus, ut & legitimatis, *Nov. 12. c. ult.* suis & emancipatis, *l. 8. §. 7. ff. de Bon. poss. cont. tab. l. 23. pr. ff. de inoff. test.* primi aut secundi gradus, *pr. & §. 1. I. d. t.* etiam puberibus arrogatis & adoptatis ab ascendente, *l. pen. C. de adopt.* nec non, quoad matrem & avum maternum, spuriis & naturalibus, *l. 29 §. 1. ff. de inoff. test.* quando rite quidem seu nominatim à patre vel avo paterno, sed inique sunt exheredati; *l. 8. §. 2. ff. de bon. poss. cont. tabb pr. & §§. seqq I. de exher. lib.* respectu matris verò, aut avi materni, quando non nominatim exclusi vel saltem præteriti; *§. ult. I. d. t.* II. Post liberos parentibus utriusque sexus, *l. 30. pr. ff h. t.* iisque propinquioribus; *arg. Nov. 118. c. 2. & l. 6. §. ff. de inoff. test,* ac III. de- 9

ficien-

ficientibus aut non agentibus dictis perſonis, fratribus & ſororibus germanis & conſanguineis; *§. 1. l. d. t.* hisque itidem juxta ſucceſſionis prærogativam, *arg. Nov. 118. c. 3.* eo tantùm caſu, ſi turpis perſona præ illis heres ſit inſtituta, *§. 1. l. & l. 27. C. d. t.* nihilque inſtitutionis titulo liberis & aſcendentibus, vel alio quocunque titulo dictis fratribus & ſororib. ſit relictum; *arg. Nov. 115. c. 3. & ſeqq. l. 30. C. de inoff. teſt.* IV. Horumque omnium heredibus, *l. 34. C. b. t.* regulariter non niſi à defuncto præparata; *l. 36. C. eod. Except. vid. l. 34. C. d. t. & modum præparandi in l. 7. ff. eod.* daturque contra heredem inſtitutum, *l. 8. §. 2. & l. 10. pr. ff. b. t.* aliumve quemcunque heredis hujus ſucceſſorem, *l. 10. C. eod.* poſt aditam hereditatem, *l. 8. §. 10. ff. & l. 36. §. 2. C. eod.* regulariter intra quinquennium, ab hereditatis aditione computandum, *l. 34. in fin. C. eod.* ad id, ut teſtamentum ratione deſcendentium & aſcendentium quoad heredis tantùm inſtitutionem, *arg. Nov. 115. c. 3. in fin. & c. 4. in fin.* reſpectu fratrum verò etiam quoad reliqua teſtamenti capita, *l. 28. ff. de inoff. teſt.* reſcindatur tanquam inofficioſum, ſub hoc colore, quaſi teſtator non fuerit ſanæ mentis tempore conditi teſtamenti, *pr. l. l. 2. & 5. ff. b. t.* & hereditas adjudicetur actori, tanquam ab inteſtato debita, *l. 6. §. 1. l. 8. §. 8. & 16. ff. b. t.* reusque ad illam reſtituendam condemnetur. *arg. dd. ll.*

10 Quòd ſi verò perſonis ſupra memoratis portio aliqua in teſtamento dictis titulis ſit relicta, non autem tanta, ut legitimam illis debitam exæquet, nec, ut illa ſuppleatur, teſtator juſſerit, tunc ad ejus ſupplementum prodita eſt Condictio ex L. 30. *C. de inoff. teſt. junct. l. un. ff. de Cond. ex Leg.* quâ contra heredem inſtitutum, ad ſupplendam legitimam, intra 30. annos *arg l. 3. de præſcript. 30. ann.* experiri poſſunt; nec obſtat illis, quòd portionem, ſibi relictam, ſine proteſtatione, etiam apochâ datâ acceperint: modò non ipſi ſupplemento renunciaverint. *l. 35. §. 2. C. de inoff. teſtam.* Cæterùm ſi à teſtatore, ut ſuppleatur legitima, fuerit mandatum, illud Actione ex Teſtamento petitur; ſicuti etiam Legitima ipſa ſingulari ſaltem titulo relicta; *arg. l. 35. Cod de inoff teſt.* Ad quam etiam obtinendam, ſi titulo inſtitutionis ſit relicta & heredes ſcripti inſtitutum in legitima coheredem agnoſcant, competit actio

tit Actio Famil. erciscundæ; *l. 35. pr. & §. 1. ff. de hered. instit.* si non agnoscant, Hereditatis petitio. *l. 10. §. 1. ff. de hered. pet.*

11 Ad exemplum querelæ de inoff. test. duæ aliæ querelæ in Cod. reperiuntur propositæ, *l. 1. 2. 4. 6. & seqq. C. de inoff. don. & l. un. C. de inoff. dot.* quas idcirco illi annectere placet.

12 Prima illarum dicitur querela inofficiosæ donationis; *dd. ll. C. de inoff. don.* vid. *N. 92.* quæ est actio realis, propriè dicta, *arg l. ult. C. d. t. l. 12. in fin. ff. de inoff. test.* Civilis, subsidiaria, *l. 4. & 6. C. d. t.* competens I. liberis primi, secundi, vel ulterioris gradus, *l. 87. §. 3. de legat. 2.* utriusque sexus, *arg. d. l. 87.* suis aut emancipatis, *arg. l. 1. C. de inoff. don. junct. l. 23. pr. ff. de inoff. test.* legitimis & naturalibus, *l. 5. C. d. t.* ac legitimatis, *arg. Nov. 12. c. ult. in fin.* ut & post donationem natis, si scil. his remedium Legis *8. C. de revoc. don.* non competat, *arg l. 5. C. d. t.* nec non arrogatis puberibus, *arg. l. pen. §. ult. C. de adopt. §. 2. I. de inoff test.* item, respectu matris, naturalibus & spuriis; *arg. l 29. §. 1. ff. de inoff. test.* II. Post liberos parentibus; *l. 4. C. de inoff. don.* III. Deficientibus vel non agentibus dictis personis, etiam fratribus ac sororibus germanis & consanguineis, Dd. comm. *arg. l. 3. ibi: ratio æquitatis extenditur C. d. t. junct. l. 27. C. de inoff. test.* quando scil. parentes, vel liberi, *l. 7. & l. 4. C. h. t.* aut personis turpibus donando fratres, *l. 3. C. eod.* effusâ nimis liberalitate, inter vivos facultates suas adeò exhauserunt, ut dictæ personæ legitimam suam non ampliùs habeant salvam, *dd. text.* contra donatarium, *l. 2. C. h. t.* & quidem, ratione parentum & liberorum, sive inter liberos ille sit sive extraneus, *l. 1. C. eod.* quoad fratres verò donatoris memoratos, si donatarius sit persona turpis, *l. 3. C. h. t. junct. l. 27. C. de inoff. test.* ad donationem eò usque saltem rescindendam, quatenus ad complendam legitimam opus fuerit, *l. 7. C. d. t.* hancque vel quod ipsi deest actori adjudicandum & restituendum. *dd. ll.*

Altera vocatur querela inoff. dotis; sec. Dd. *in l. un. C. h. t.* quæ est actio itidem realis, Civilis, daturque liberis, quorum mater, ad secunda vota transiens, facultates suas, dote nimiâ marito cum pacto de lucrando datâ, ita exhausit, ut eorum etiam legitima amplius salva non sit, contra maritum superstitem, qui do- 13

tem illam accepit, ut datio illa dotis eatenus rescindatur *arg. l. 4. C. de jur. dot.* & ipse ex illa restituat, quatenus legitima, liberis prioris matrimonii præstanda, se extendit. *d. l. un.* C. *de inoff. dot.*

14 Concurrit cum hac querela ipsique affinis est Condictio ex L. Hac Edictali 6. C. de secund. nupt. quâ tantū consequuntur liberi, quantum mater in dotem dedit secundo marito, vel pater uxori secundæ propter nuptias donavit; Colleg. Argent. *ad ff de inoff. test. th. 67.* ita ut ad complendam legitimam querelâ inoff. dotis, & postea ad residuum, inter liberos primi matrimonii & secundum maritum vel uxorem secundam æqualiter dividendum, agi possit, Sichard. *num. 4.* & Brunneman. *in fin. ad d. l. un.* C. *de inoff. dot.*

Sectio III.

Ex Servitute

1 [Quæ hîc est jus, in re aliena *l. 5. pr. ff. si usufr. pet. l. 26. ff. de S. P. V.* constitutum, vi cujus juris res illa nobis nostræve rei *l. 1. & 15. ff. de servit.* utilitatem quandam præstare tenetur, quæ in eo consistit, ut rei servientis dominus in ea aliquid vel patiatur vel non faciat. *d. l. 15. §. 1. in fin.*) duæ tantùm promanant actiones, nempe

2 1. Confessoria seu affirmativa; *§. 2. I. de A. l. 2. pr. ff. si serv. vind.* quæ est actio realis, *dd. ll.* competens ei, cui servitus est constituta, si scilicet de personali agatur, *l. 5. ff. si usufr. pet.* aut qui prædii dominantis est dominus, si de reali, *l. 2. §. 1. ff. si serv. vind.* contra dominum prædii servientis *l. 6. §. 3. ff. eod.* & quemvis alium, qui servitutis usum impedit, *l. 10. §. 1. ff. eod.* ut declaretur, servitutem actori competere *l. 8. §. 4. ff. eod.* condemneturque reus, ut eidem quasi possessionem servitutis tradat, vel ejus exercitium permittat, caveatque, & quidem nudâ saltem promissione, pro se & suis successoribus, de non ampliùs impediendo, *l. 7. & 12. ff. si serv. vind. junct. l. 3.* C. *de V. S.* fructus etiam restituat & interesse præstet. *l. 4. §. 2. ff. eod. l. 5. §. 3. & 7. ff. si usufr. pet.*

2. Nega-

2. Negatoria sive negativa; *d.* §. *2. I. de A. l. 2. pr. ff. si serv. vind.* quæ tribuitur domino prædii, quod is liberum esse asserit, *l. 1. l. 2. pr. l. 4.* §. *7. ff. eod.* contra quemlibet, servitutem in eo prætendentem, vel libertatem ejus impedientem, *d l. 4.* §. *7. l. 8.* §. *5. l. 17. pr. &* §. *1. ff. eod.* ut prædium respectu hujus adversarii declaretur liberum, *d. l. 4.* §. *7.* vid. etiam Oldend. *Cl. 3. A. 5. n. 5. in pract.* reusque caveat actori vel nuda itidem promissione, de servitute non amplius usurpanda vel libertate prædii impedienda, *l. 7. & l. 12. ff. d. t. junct. l. 3. C. de V. S.* restituat fructus *l. 4.* §. *2 ff. d. t. l. 5.* §. *7. ff. si usufr. pet.* & præstet quod actoris interest, servitutem non fuisse usurpatam, aut libertatem prædii impeditam. *dd. ll.* 3

Ita quidem directò exercentur hæ actiones; Utiliter autem partim ipso jure, partim à Dd. extendi solent ad aliud I. subjectum, dum videlicet accommodantur emphyteutæ, *l. 16. ff. de servit.* superficiario, *l 3.* §. *3. ff. de oper. nov. nunt.* creditori hypothecario, *d. l. 16.* vasallo, *2. Feud. 8.* & contra vicinum usufructuario, *l. un.* §. *4. ff. de remiss.* II. etiam ad aliud objectum, dum intentantur pro vindicando jure decimarum, *arg. c. 27. X de decimis.* jure patronatus Ecclesiastico, Bald. *ad rubr. C. de usufr.* jurisdictione, Jas. *ad* §. *2. I. de A.* mero & mixto imperio, id. *ibid.* jure venandi, servitiorum sive operarum, & redituum, Hahn. *ad Wes. d. l.* aliisque id genus juribus tam Ecclesiasticis, quàm secularibus. 4

Sectio IV.

Ex Pignore

[Quod hîc pro jure, creditori in re aliqua ad debiti securitatem constituto, accipitur] profluit 1

1. Act. Serviana, §. *7. I. de A.* à Prætore Servio *secund. Dd.* seu etiam latè Hypothecaria dicta; quæ datur locatori prædii rustici, ejusque heredibus singulis in solidum, *l. 1. C. si un. ex plur. hered. cred.* cui res coloni tacitè, ut fructus, *l. 7 ff. in quib. caus. pign. vel hyp. tac.* vel expresse, ut res aliæ, *l. 4. ff. & l. 5. C. d. t.* pignoris nexu prò mercede sunt obligatæ, contra colonum ipsum, 2

&, eo ejusque fidejussoribus priùs excussis, *Nov. 4. c. 2.* contra quemvis alium, qui res ejusmodi obligatas possidet, vel dolo possidere desiit, *l. 16. § 3. ff de pign. & hyp. l. 27. §. 5. de R. V.* ut declaretur, actori jus pignoris in istis esse constitutum, & hinc illarum possessor eas actori restituere compellatur.

3 2. Quasi Serviana, ex interpretatione scil. JCtorum ad exemplũ Servianae, seu Hypothecaria in specie dicta; *§ 7. & 31. I. de A.* quae in eo potissimùm à priori differt, quod cuivis alii, jus pignoris habenti, detur; in reliquis ferme cum illa convenit.

CLASSIS II.

Tractans de Actionibus possessoriis.

1 ACtio possessoria est, quâ de possessione rei vera vel quasi principaliter disceptatur. Wissenb. *in Comment. ad ff. Tit. de Interd. th. 1.* Hahn. *ad Wesenb. ff. de jud. num. 8.* Eae porrò, quae verae possessionis controversiam continent, dantur à Praetore vel pro Adipiscenda, vel pro Retinenda, vel pro Recuperanda possessione rerum corporalium, ad privatos pertinentium. *l. 2. §. 3. ff. de Interd.* Wissenb. *d. l. n. 2.*

SECTIO I.

Pro Adipiscenda

INtroductum est 1. Interdictum Quorum bonorum; *§. 3. I. de interd. l 1. ff. quor. bon.* cujus nomine & loco hodie datur actio, seu propriùs persecutio extraordinaria sive Imploratio Nob. Officii judicis, & quidem directa bonorum possessori, in quem scil jus universale persequendi patrimonii à Praetore translatum est, *l. 1. ff d. t. l. 3. § 1. ff. de bon. poss* utilis heredi, *l. 1. C quor. bon.* cui scil. hereditas aut saltem quota illius, *arg. l. 10. C. fam. ercisc. N. 115. c. 4. pr.* jure Civili ex testamento vel ab intestato delata, qui rerum hereditariarum actualem possessionem nunquam habuerunt, *d. §. 3. I. de interd. & l. 3. §. 1. ff. de bon. poss.*

poss. contra eum, qui bona hereditaria, tam singularia *l. 29. & 30. ff. de furt.* quàm universa, *l. 1. §. 1. ff. quor. bon.* pro herede vel pro possessore possidet, vel dolo malo possidere desiit, *d. l. 1. pr.* ad consequendam earum possessionem.

2. Huic admodum affine est Remedium illud possessorium seu persecutio extraordinaria ex L. ult. C. de Edict. D. Hadr. toll. competens heredi scripto in testamento, carente quoad heredis institutionem vitio visibili, ipsiusque heredibus, *arg. l. 194. ff. de R. I.* directò; utiliter etiam heredi nuncupativo, modò testamentum hoc nuncupativum in scripturam sit redactum, Carpz. *lib. 6 Resp. 20. num. 2.* & utrumque tum hoc tum scriptum regulariter in originali vid. Richter. *ad h. l. ult. num. 138. & seq.* in continenti exhibeatur judici, in cujus territorio res sitæ sunt; *d. l. ult.* sub qua restrictione etiam utiliter in re certa instituto, legatario ac fideicommissario singulari & id genus aliis ex quavis ultima voluntate à Dd. ex æquitate accommodatur, Finckelthaus. *obs. pr. 121.* Richter. *d. tr. num. 149. & seqq.* contra eum, penes quem sunt res hereditariæ aut legatæ, sive corporales, sive incorporales, nec legitimam contradicendi causam habet, ad id, ut actor vi istius testamenti in illarum possessionem vel quasi immittatur. *d l. ult.* 2

3. Interdict. Quod Legatorum; *l. 1. ff. & l. un. C. h. t.* cujus loco hodie Actio datur heredi cuicunque, Civili & Prætorio seu bon. possessori, testamentario & ab intestato, *dd. ll.* nec non fiduciario & fideicommissario universali, ac utiliter eorum heredibus, *d. l. 1. §. 3* qui tamen hereditatem nondum possederunt, Wesenb. *ad ff. h. t. num. 7.* contra legatarium vel fideicommissarium tam universalem quàm singularem, *arg. d. l. un C. h. t.* nec non utiliter adversus donatarium mortis causâ *arg. l. 1. §. 2. & l. ult. C de mort. caus. don.* & successores eorum universales, qui legatum vel fideicommissum sibi relictum, aut rem mortis causâ donatam & possessore vacantem Wissenb. *in comment. ad ff. Disp. 23. num. 14.* propriâ authoritate, citra voluntatem scil. testatoris & heredis, occupârunt, ad adipiscendam illius possessionem, in eum nempe finem, ut heres vel æs alienum, à defuncto contractum, 3 4

exinde

exinde ſolvat, vel ſibi ipſi quartæ Falcidiæ aut Trebellianicæ nomine ſatisfaciat.

4 4. Interdict. de Tabulis exhibendis; *l. 1. pr. ff. h t.* Inde datur actio in factum *arg. l. 4. ff. eod.* omnibus iis, quibus in tabb. ſeu inſtrumento ultimæ voluntatis aliquid adſcriptum eſt, *l. 3. §. 10. ff. eod.* contra detentorem iſtarum tabb. utpote teſtamenti, codicillorum, aut quarumcunque aliarum ſcripturarum authenticarum, *l 1. & ult. ff. teſtam. quemadm. aper.* quibus ultima voluntas conſignata *l. 1. §. 2 & ſeqq. ff. de tab. exhib.* & morte confirmata eſt, *l. 1. §. 10. ff. eod.* qui vel negat, ſe poſſidere tabulas, *d. l. 1. §. 1,* vel cauſam allegat, ob quam eas non exhibere teneatur, *d. l. 1. §. 1.* vel dolo poſſidere deſiit, *d. l. 1. pr.* ut eas coram Prætore exhibeat, *l. 3. §. 7. & ſeqq ff. h. t.* aut in pœnam contumaciæ præſtet quantum actoris intereſt. *l. 3. §. 11. & ſeqq. h. t.*

5 5. Interdict. de Glande legenda; (ſub qua omnis generis fructus intelliguntur *l. un. §. 1 ff. h t.*) *l. 1. pr. eod.* Unde datur actio ei, ex cujus arbore glans in vicini fundum cecidit, contra vicinum, glandem legere & inde auferre prohibentem, ad hoc, ne ei, intra triduum glandem ſuam legenti, vim faciat. Moribus verò plerorumque locorum id non obſervari & fructus ejusmodi vicino cedere, teſtantur Schneidew. *ad §. 31. Inſt. de rer. div.* Weſ. *ad ff h. t.* & Harſolt. *de act. h. t.*

6 6. Interd. Salvianum; *§. 3. I. de interd. l. 1. § 1. ff h. t.* cujus nomine datur directò actio locatori prædii ruſtici contra colonum tantùm, *l. 1. Cod. de precar.* ad adipiſcendam principaliter poſſeſſionem rerum, pro mercede locationis ſibi oppignoratarum; utiliter datur etiam locatori prædii urbani contra inquilinum, *arg d. l. 1. C. de precar.* Weſemb. *ad ff. h. t. num. 3.* & Hahn. *in not. ib.* aut locatori prædii ruſtici contra tertium poſſeſſorem rerum oppignoratarum, cauſam à colono habentem, *l. 1. pr. ff. h. t.* & cuilibet alii creditori hypothecario contra ſuum debitorem. *d. l. 1. C.* & Hahn. *d. l.*

7 7. Huc etiam pertinet Remedium illud poſſeſſorium Legis 3. C. de pign. & hyp. competens creditoribus, de pignore

gnore propriâ authoritate occupando paciſcentibus, contra ſuos debitores, pecuniam creditam non reddentes, pro adipiſcenda rerum pignoratarum poſſeſſione, authoritate tamen judicis interveniente,

SECTIO II.

Pro Retinenda poſſeſſione

COmparatum eſt 1. Interdict. Uti poſſidetis; §. *4. I. de interd. l. 1. pr. ff. h. t.* cujus nomine & loco hodie datur actio realis, quæ (ſicuti ſequentes hujus ſectionis actiones realium nomine inſignitæ) oritur ex quinta juris in Re ſpecie, nempe ipſa poſſeſſione, *l. 1. §. 1. & l. 2. ff. h. t.* directò competens ei, qui in poſſeſſione rei corporalis immobilis, *d. l. 1. §. 1.* ſive civili ſive naturali, *arg. l. 1. §. 8. & l. 2. eod.* & utiliter ei, qui in quaſi poſſiſſione rei incorporalis ſive juris *l. ul. ff. h. t.* turbatur ab aliquo, à quo rem nec vi, nec clam, nec precariò poſſidet, *l. 1. §. fin. & l. 2. ff. d. t.* contra ejusmodi turbatorem, & poſſeſſionis uſum quoquo modo, intra aut extra judicium, factis vel ſaltem verbis impedientem, *l. 3. §. 2. & 3. ff. eod.* ut actor ejus rei poſſeſſor vel quaſi declaretur, & reus dehinc turbare deſinat *l. 1. §. 4. eod.* præſtetque id, quod actoris intereſt, ipſum non fuiſſe turbatum, *l. 3. §. ult. ff. h. t.* adjectâ etiam de jure Civ. interdum cautione de non amplius turbando. vid. Bach. *ad Treutl. part. ult. D. 25. th. 3. Lit. I.* 1

2. Interd. Utrubi; *l. un. ff. h. t.* quod, ut & actio ejus nomine competens, in eo tantùm à proxime præcedente differt, quòd tribuatur poſſeſſori rei mobilis; quoad cætera enim conveniunt.

In utroque hoc interdicto jure Civ. obtinebit is, qui verè, 2 per actus ſcil. poſſeſſorios, quos ad tempus usque litis conteſtatæ exercuit, probat, poſſeſſionem ſuam reſpectu adverſarii non eſſe vitioſam; *§. 4. in fin. I. de interd.* Quod jure Can. in praxi hîc recepto, vid. Menoch. *remed. 3. retin. poſſ. num. 714. & ſeqq.* Weſenb. *ad ff. h. t. num. 5.* etiam præſumtivè ſufficit, ſi antiquiorem poſſeſſio-

possessionem, nec adversarius justum possessionis suæ titulum probaverit; *c. licet. 9. X. de probat.* Si uterque litigantium æque probet, in possessione sunt relinquendi, usque dum in petitorio causa alterutrius fiat manifestior, &, ut neuter alterum interea in possessione turbet, pronuntiandum; *l. 3. pr. ff. ut poßid. & arg. l. 128. ff. de R. I.* Sin utriusque jura æque sunt obscura, possessio sequestranda est. *Ord. Cam. p. 2. Tit 21.*

4 3. Interdict. de Superficiebus; *l. 1. pr. ff. h. t.* cujus nomine datur actio realis *arg. d. l. 1. §. 2.* superficiario (cui scil. jus est in re, in alieno nimirum solo vel ædificio aliisque id genus fundo impositis *l. 13. ff. de S. P. R.* aliquid, cum illis cohærens, habendi jure quasi seu utilis dominii) superficie ex lege concessionis fruenti seu illam possidenti, contra quemcunque turbantem sive impedientem debitum superficiei usum, ut actor declaretur possessor, & adversarius turbare cesset actorique factæ turbationis interesse & cautionem de non amplius turbando præstet, perinde ut in præcedente interd. Uti possidetis; cum quo hoc magnam habere affinitatem, patet ex *d. §. 2. in fin.*

5 4. Interdict. Quod vi aut clam; *l. 1. pr. ff h t. ibique* Coll. Argent. *th. 17.* cujus loco competit actio & quidem personalis *arg. l. 2. pr. verb. delinquentis ff. h. t.* omnibus iis, quorum interest, aliquid circa rem soli vel huic cohærentem non esse factum, *l. 16. pr. ff. eod.* contra eum, qui vi, vel clam, (*quod quomodo fiat* vid. *ap.* Wes. *&* Hahn. *h t.*) in dicta re aliquid fecit, aut fieri mandavit, *l. 5. §. 8. & ult. ff. h. t.* quod alteri nocet, *l. 7. §. 6. & 7. l. 18. pr. ff. eod.* ejusque heredes & successores cæteros in quantum ad illos pervenit, *l. 15. §. 3. h. t.* ut reus factum istud in pristinum statum suis sumtibus reducat & insuper damnum, actori exinde obveniens, resarciat. *l. 11. §. 4. eod.*

6 5. Huic affine admodum est Interdict. de operis novi nuntiatione seu prohibitione; *l. 20. pr. & §. 1. ff h. t.* quod duplicem suppeditat actionem: unam nuntianti ejusque heredibus & cæteris successoribus *d. l. 20. §. 6.* contra nuntiatum, qui spretâ nuntiatione, quæ nec satisdatione nec remissione fuit enervata,

enervata, *d. l. 20. §. 4.* ædificando perrexit, vel quod factum est ratum habuit, *d. l. 20. §. 7.* ut illud, sive jure factum sive non, *d. l. 20. §. 3.* suis sumtibus iterum destruat; *d. l. 20. §. 1. & 3. l. 22. eod.* adversus successores autem nuntiati, tum universales *d. l. 22.* tum singulares, *l. ult. ff. eod.* ut regulariter saltem patientiam destruendi operis actori præstent; *d. l. 22.* vid. *l. 20. §. 8. eod.* Alteram nuntiato *l. 20. §. 9. ff. h. t.* ejusque heredibus & cæteris successoribus *d. l. 20 §. ult.* contra nuntiantem, qui, remissâ nuntiatione aut præstitâ à nuntiato vel oblata saltem satisdatione, *arg. d. l. 20. §. 5.* nihilominus ædificaturum impedit, ad hoc, ne ei vim faciat, *d. l. 20. §. 9.* aut solvat quod nuntiati interest, eum non fuisse impeditum. *arg. l. 5. §. fin. ff. eod.* vid. *l. 21. §. 2. d. t.* Coll. Argent. *ad h. t. th. 28.*

6. Interdict. de Arboribus (*sub quibus etiam vites continentur l. 1. §. 3 ff. de arb. cad.*) cædendis, *d. l. 1. pr.* aut coërcendis; *d. l. 1. §. 7.* cujus nomine ei conceditur actio, cujus interest, arborem, vicino fundo implantatam, in ædes aut agrum suum non impendere, *d. l. 1. §. 4.* contra dominum arboris, admonitum prius, ut ipse arborem, si in ædes impendeat, cædat, *d. l. 1. §. 6.* aut, si in agrum, ad 15. pedes usque ramos ejus à terra coerceat sive amputet, sed hujus admonitionis negligentem, ad id, ne actorem, arborem vel planè excisurum, vel ad præscriptum modum coerciturum & ligna sublaturum, prohibeat; *d. l. 1. § 2. 8. & 9.* 7

Tametsi quoque, si arbor ex vicini fundo vi venti in meum sit inclinata, ex L. XII. Tab. actione negatoriâ, vicino scil. jus non esse arborem ita habendi, & ut eam hinc tollat, experiri possim. *l. 2. d. t.* 8

7. Interd. de migrando; *l. 1. pr. ff. h. t.* quod cum interdicto Utrubi magnam habet affinitatem; cujus loco actio & quidem directa datur inquilino, qui scil. prædium urbanum conductum habet, *d. l. 1. §. 1.* posteaquam ædium domino pensionis nomine satisfecit, *d. l. & §.* aut si dominus eam oblatam recipere in mora sit; *d. l. pr.* utilis ei, qui gratis inhabitat, *d. l. 1. §.* 9

3. & quidem utraque contra eundem locatorem, qui inquilinum vel gratis inhabitantem emigrare & res illatas exportare impedit, ut actori liberè id permittat; quam etiam successoribus & in successores dari constat *ex d. l. 1. §. ult.* vid. tamen *praeced. §. 2.* Colono autem, similiter impedito, mediante persecutione extraordinaria seu imploratione Nobilis Officii judicis subvenitur. *per ea quae tradit* Wesenb. *in π. hic in fin.*

SECTIO III.

Pro recuperanda possessione,

1 Quae vel nobis est erepta, vel alio modo amissa, datur ex jure Praetorio Interd. Unde vi; *§. 6. Inst. de Interd. l. 1. pr. ff. de Vi & vi arm.* ejusque loco hodie actio personalis illi regulariter, qui rem immobilem *d. l. 1. §. 6.* suo nomine *l. 1. C. si per vim.* ex justa vel injusta causa *arg. d. l. 1. §. 10. ff. de vi & vi arm. l. 14. eod.* bona aut mala fide, *d. l. 1. §. 30.* sive civiliter sive naturaliter *d. l. 1. §. 9.* ratione tum formae *d. l. & §. it. l. 13. §. 1. ff. de publ. in rem act.* tum modi, *l. 10. C. de acq. & ret. poss.* possedit & de ejusmodi possessione per vim dejectus est, ejusque heredibus & caeteris successoribus, *l. 1. §. 44. ff. de vi & vi arm.* nomine scil. violentiae defuncto illatae, Thoming. *Decis. 11 num. 10 & per tot.* contra dejicientem, vel eum, qui dejici mandavit, aut ratum habuit, *l. 1. §. 12. & l. 4. ff. d. t.* & contra horum heredem, in quantum scil. ad eum pervenerit, *l. 3. § fin. l. 9. pr. eod.* non autem contra alium possessorem tertium, *l. 7. ff. d. t.* ut rei immobilis possessionem cum omni causa fructibusque non solùm perceptis, sed etiam, si intra annum utilem agatur, percipiendis, *l. 1. §. pr. §. 39. 40. & seqq. h. t.* & eo, quod actoris interest, ipsum non fuisse dejectum, *d. l. 1. § 41. & l. 6. ff. eod.* reus illico restituat. *l. pen. ff. d. t.*

2 Quòd si res quaedam mobiles in eo praedio, de quo quis dejectus est, fuerunt, illae etiam per consequentiam saltem hoc interdicto repetuntur, *l. 1. §. 6. ff. de vi & vi arm.* aut, si ipsae perierunt, earum aestimatio, *l. 19. ff. eod.* quae à judice taxanda & ab actore, etiam

etiam contra heredes dejicientis actione inſtitutâ, juratò confirmanda eſt. *l. 9. C. unde vi.*

Ex Conſtitutionib. Impp. ſequentia habemus remedia: 3
1. Ex L. 3. C. Unde vi; quod conceptum eſt contra eum, qui alicujus rei poſſeſſionem vi nobis ademit & ad eam poſteà juſtificandam Reſcriptum Principis impetravit, ut non attento hoc Reſcripto nihilominus nobis eandem reſtituere teneatur.

2. Ex L. 6. C. eod. quod comparatum eſt contra eum, 4
qui ſub obtentu Reſcripti Principis aut ſententiæ judicis, quam pro ſe habet, poſſeſſionem rei debitæ propriâ authoritate ſed ſine vi invaſit, ut eam non tantummodo reſtituat, ſed inſuper jure crediti cadat.

3. Ex L. 7. C. eod. quod contra eum datur, qui non 5
expectato judicis arbitrio poſſeſſionem rerum, ſive immobilium ſive mobilium, apud fiſcum vel alios homines conſtitutarum, violenter invaſit, ut rem non modò reſtituat, ſed &, ſi ejusdem dominus eſt, dominio ſuo excidat; ſin minùs, rei reſtitutæ æſtimationem, judice priùs taxante ab actore juratò factam, ſuperaddat. Quod ſi creditores debitum propria authoritate occupent, *tunc* (præter perſecutionem extraordinariam criminalem *ex l. ult. ff. ad L. jul. de vi priv.*) juxta Ed. D. Marci, quod videre eſt *l. 13. ff. quod met. cauſ. & l. 7. ff. de vi priv.* jus crediti amittunt.

4. Ex L. 1. C. ſi per vim &c. quod contra eum com- 6
petit, qui abſentis poſſeſſionem quoquo modo intervertit, ut ſine ulla cunctatione eandem reſtituat. Et ſingulare hìc eſt (1) reſpectu agentis, quòd non tantùm abſentis parentes, propinqui, amici, liberti, coloni, inquilini & alii, qui ejus nomine in poſſeſſione fuerunt & de ea dejecti ſunt, etiam citra mandatum, ad eam recuperandam abſentis nomine agere poſſint, ſed & ſervi ipſius, perſonam ſtandi in judicio aliàs non habentes, ſint admittendi; (2) ratione temporis, quòd ſcil. etiam poſt lapſum illius, recuperandæ poſſeſſionis remediis à legibus præſtituti, adhuc audiendi ſint ii non ſolùm, quos modò recenſui, ſed & ipſe verus poſſeſſor, poſt tempus illud demum reverſus.

7 Ex Jure Can. duo suppetunt remedia: 1. Ex c. Saepe 18. X. de restit. spol. quo succurritur spoliato, contra tertium possessorem rei spolio ablatae, modò hic sciat, rem vitio hoc laborare, ut spoliatus ante omnia in possessionem restituatur.

8 2. Ex Can. Redintegranda. 3. (juncto praeced. 2.) *caus. 3. q. 1.* quod remedium Dd. communiter plenissimum vocant, utpote competens cuivis, de possessione cujuscunque rei sine justa causa dejecto, contra quemvis istius rei possessorem, ad recuperandam possessionem.

9 Si possessio aliter quàm per vim fuerit amissa, sequentia proderunt remedia:

10 1. Interdict. de precario; *l. 2. ff. h. t.* cujus loco hodie (praeter condictionem incerti seu actionem praescriptis verbis *l. 19. §. 1. ff. d. t.*) actio personalis competit ei, qui rem precario dedit, etsi non sit illius dominus, *l. 8. pr. eod.* ejusque heredibus ceu precarium prolongantibus, *d. l. 8. §. 2.* contra eum, qui precariò habet, *l. 4. §. 2. ff. eod.* aut dolo malo habere desiit, *l. 2. pr. ff. h. t.* ut aut rem restituat, *l. 8. §. 4. eod.* praestando regulariter dolum & culpam latam, *d. l. 8. §. 4. & 6.* aut interesse actoris solvat. *d. l. 8. §. 4.*

11 2. Ex L. 15. §. 1. ff. de condict. indeb. subvenitur illi, qui errore facti ductus possessionem alicujus rei in alium transtulit tanquam ipsi debitam, quam tamen ipsi non deberi postea comperit, contra ejusmodi possessorem, ad revocandam ab eo possessionem.

12 3. Ex L. 11. §. 1. ff. de pignor. datur actio in factum creditori antichretico, qui possessionem pignoris, in quo antichresis illi constituta est, amisit, contra ejusdem possessorem, ad recipiendam possessionem.

13 4. Ex L. 2. C. de praetor. pign. succurritur ei, qui pignoris, à Praetore sibi constituti, possessionem quocunque modo amisit, ad eam recuperandam.

14 5. Ex L. 5. C. unde vi dominus alicujus fundi experitur contra eum, qui per errorem aut incuriam domini fundum

pro

pro ſuo ac vacante habuit, & hinc ejus poſſeſſionem occupavit, ad recuperandam tantùm poſſeſſionem.

6. Ex L. ult. C. eod. agere poteſt fundi dominus con- 15
tra ejus ceu vacui invaſorem doloſum ſive ſcientem, fundum non eſſe ſuum, ut poſſeſſionem illius cum fructibus non ſolùm perceptis, ſed etiam, ſi intra annum utilem agatur, percipiendis omnique eo, quod actoris intereſt, illico reſtituat *arg. d. l. ult. junct. l. 1. pr. & §. 39. & 41. it. l. 3. §. 1. ff. de vi & vi arm.* vid. Brunneman. *ad d. l. ult.*

7. Ex L. ult. C. de acq. & ret. poſſ. ſubvenitur illi, 16
qui perfidiâ aut negligentiâ ſui ſervi, coloni, inquilini, procuratoris, aut alterius cujuspiam, per quem ipſe poſſedit, poſſeſſione ſuâ excidit, contra poſſeſſorem, ut actor eandem recuperet.

SECTIO IV.

HActenus de actionibus, quæ de vera poſſeſſione competunt; 1
ſequuntur nunc eæ, quæ de quaſi poſſeſſione, vel

I. Rerum ſacrarum:

Ut eſt actio ex Interdict. Ne quid in loco ſacro fiat; 2
l. 1. pr. ff. h. t. quæ datur cuilibet è populo, *l. 10. C. de Epiſc. & Cler.* contra eum, qui in locum ſacrum vel ſanctum *l. 2. & 3. ff. h. t.* aliquid immittit vel ibi facit, quo locus incommodatur aut deformatur, *l. 1. §. 2. ff. h. t.* ne quid ibi faciat, aut, ſi factum jam eſt, ut tollat; *l. 2. §. 19 ff. ne quid in loco publ.* vel

II. Rerum publicarum:

Qualis eſt I. actio ex Interdict. Ne quid in loco publ. 3
vel itin. publ. fiat; *l. 2. pr. ff. h. t.* quæ popularis eſt, *d. l. 2. §. 2.* & datur contra eum, qui in loco publico citra permiſſionem aliquid facere intendit, quod impediret loci iſtius uſum, *d. l. 2. §. 11.* ut à propoſito abſtineat & de non faciendo caveat. *d. l. 2. §. 18.* Quòd ſi verò quis nemine prohibente in loco publ. aliquid fecerit, con-

rit, contra eum non dabitur hoc interdictum, sed tum curatores locorum publicorum, si usui publico obsit, id deponant; sin minùs, solarium ab ipso exigant. *d. l. 2. § 17.*

4 2. Ex Interdict. de loco publ. fruendo *l. 1. pr. ff. h. t.* datur actio conductori loci publici ejusve socio, contra eum, qui ipsum inquietat, quò minus loco illo juxta legem locationis frui possit, ut ab inquietatione desistat.

5 3. Ex Interdict. de via publ. rustica prohibitorio *l. 2. §. 20. & 24. ff. ne quid in loco publ.* cuivis è populo competit actio contra eum, qui, faciendo vel immittendo aliquid in viam publicam, eam deteriorem reddit, ut posthac viam deteriorare cesset & actori interesse præstet. *d. l. 2. §. 34.*

6 4. Ex Interdict. de eadem via restitutorio *l. 2. §. 35. ff. ne quid in loco publ.* popularis etiam producitur actio contra eum, qui in via publica aliquid positum habet, sive ipse posuerit sive alius, *d. l. 2. §. 37.* vel dolo malo habere desiit, *d. l. 2. §. 42.* ut viam ad pristinum statum reducat, vel tollendo id, quod positum habet, vel ponendo id, quod inde abstulit, idque sumtu proprio, si ipse id fecit vel alius ejus jussu, & insuper actori interesse præstet. *d. l. 2. §. 44.*

7 5. Ex Interdict. de ead. via prohibitorio altero, *l. 2. §. fin. ff. ne quid in loco publ.* cuilibet, qui in via publica ire aut agere vult, competit actio, contra eum, qui impedit, ne illum impediat.

8 De viis autem urbanis non interdictis Prætorum, sed Magistratuum, Ædilium scil. Curulium, cavetur; *uti patet t. t. ff. de via publ. it. ex l. 2 § 24. ff. ne quid in loco publ.* vid. Wesenb. *in ff. de via publ. ibique* Hahn.

9 6. Ex Interdict. de via & itin. publ. reficiendo *l. 1. pr. ff. h. t.* omnibus è populo datur actio contra eum, qui refecturum viam tam urbicam quam rusticam prohibet, ut à prohibitione cesset & actori interesse præstet. *d. l. 1. §. fin.*

10 7. Ex Interdict. de Fluminib. prohibitorio, *l. 1. pr. ff. de flum.* & restitutorio, *d. l. 1. §. 19. & 20.* popularis datur

datur actio contra eum, qui in flumine publico navigabili aliquid facere aut immittere tentat, vel jam factum immissumve habet, quo statio navium aut ipsa navigatio deterior fiat, ut vel ab illo cesset, vel factum immissumve tollat.

8. Ex Interdict. Ne quid in flumine publ. &c. 11
prohibitorio, *l. un. pr. ff. h. t.* & restitutorio, *d. l.* §. *11.* actio datur itidem popularis *arg. d. l. un.* §. *9.* contra eum, qui in flumine publico, sive navigabili sive non navigabili, *d. l. un.* §. *2.* ejusve ripâ aliquid facere intendit, aut jam fecit, quo aqua aliter fluat atque priori æstate fluxit, vel etiam contra ejus heredem, *d. l. un.* §. *10.* ut vel desistat, vel in priorem statum omnia reducat.

9. Ex Interdict. Ut in flum. publ. navigare liceat, 12
l. un. ff. h. t. competit actio navigaturo, contra prohibentem, ut à prohibitione cesset.

10. Ex Interdict. de Ripa munienda *l. un. pr. ff. h. t.* 13
illi datur actio, qui agri sui tuendi causâ opus aliquod, navigationi non incommodum, in ripa vult exstruere quique fluminum accolis ad decennium de damno infecto cavit, vel per eum non stetit, quò minùs caveretur, *d. l. un.* §. *3. & 4.* contra eum, qui opus illud facere impedit, ne ipsum impediat.

11. Ex Interdict. de Cloacis (cum venia) publicis, 14
l. 1. §. *15. ff. de cloacis* cuilibet è populo competit actio contra eum, qui aliquid fecit aut immisit in cloacam publicam, quo usus ejus sit deterior, ut id tollat seu in pristinum statum restituat; vel

III. Rerum incorporalium seu servitutum.

Ut 1. ex Interdict. de itinere via actuq; priv. utendo, 15
l. 1. pr. ff. h. t. competit actio realis illi, qui intra annum, à tempore actionis hujus instituendæ retro computatum, diebus ad minimum regulariter triginta, servitute itineris, actus aut viæ in prædio adversarii rustico, *d. l. 1.* §. *1. 2. 3. 9. & seqq. it. l. 2. & 3. eod.* vel utiliter quoque urbano, *juxta Dd.* nec vi, nec clam, nec precariò ab illo usus est, contra eum, qui usum servitutis prohibet

vel

vel impedit, ut actor quasi possessor servitutis declaretur & reus à turbatione desistat, cautionem etiam de non amplius turbando *l. 7. ff. de aq. cott.* & quod actoris intereft, ipsum non fuisse turbatum, præstet. *l. 3. §. 3. ff. h. t.*

16 2. Ex Interdict. de itin. priv. reficiendo, *l. 3. §. 11. ff. de it. act. priv.* etiam datur actio realis ei, cui servitus quædam proximè dicta revera competit, quique intra annum ea usus est, *d. l. 3. §. 13.* & ut eò commodiùs eâdem porrò uti possit, iter, in quantum sibi licet, vult reficere & suo adversario de damno infecto cavere, contra eum, qui refectionem itineris non vult admittere, ne actorem in reficiendo amplius turbet. *dd. text. & l. 4. eod.*

17 3. Ex Interdict. de aqua cottid. *l. 1. pr. ff. h. t.* & æstiva, *d. l. 1. §. 29.* ex capite, seu ubi aqua nascitur, *d. l. 1. §. 7. & 39.* ducenda, actio realis ei tribuitur, qui intra annum, à tempore actionis hujus retrò computatum, & quidem quoad aquam quotidianam, vel saltem uno die aut nocte, *d. l. 1. §. 4.* quoad æstivam verò, proximè elapsa æstate ad minimum sex mensibus, ab æquinoctio scil. verno ad autumnale, *d. l. 1. §. 31. & seqq.* vel utiliter tantùm hac æstate, *d. l. 1. §. 36.* vel etiam si hyeme saltem servitus hæc competat, d. *l. 1. §. §. 35.* legitimo modo nec vitiosè ab adversario possidens aquam exinde duxit bona fide, putans se jure ducere, *d. l. 1. §. 10.* contra quemvis dehinc ducere prohibentem, vel impedientem, ne ducenti vis fiat sive ut reus à turbatione desistat, præstita itidem cautione de non amplius turbando omnique damno & interesse actoris refuso. *l. 7. ff. eod.*

18 4. Ex Interdict. de rivis *l. 1. pr. ff. h. t.* datur actio realis ei, qui intra annum, pariter retrò computatum, aquæductu legitimè & non vitiosè ab adversario usus est, etsi jus ducendi reverà non habeat, *d. l. 1. §. 9.* & rivos vult reficere, contra prohibentem quemcunque, ne rivos refecturo dicto proximè modo vis fiat.

19 5. Ex Interdict. de Fonte, utendo nimirum, *l. 1. pr. ff. h. t.* aut reficiendo, *d. l. 1. §. 6.* actionem realem intentare potest is, qui eo anno nec vi, nec clam, nec precariò à reo aquam

ex fon-

ex fonte, puteo, lacu, aut piscina vivam aquam habente, *d. l. 1. §. 4.* hausit, vel pecus suum eò appulit, *d. l. 1. §. 2.* etsi servitutem aquæ haustus vel pecoris ad aquam appulsus non habeat, *arg. d. l. 1. §. 3.* contra eum, qui aquam haurire vel pecus eò appellere, aut fontem reficere prohibet vel impedit, ne hausturo aut appulsuro, vel refecturo dicto itidem modo vis fiat.

6. Actione ex Interd. de Cloacis (salvo honore) privatis *l. 1. pr. ff. de cloac.* experitur is, ex cujus ædibus cloaca in 20
ædes vicini extenditur ibique purgatione aut refectione opus habet, contra vicinum purgare aut reficere prohibentem vel impedientem, ne purganti aut reficienti, ut supra dictum, vis fiat: modò idem de damno infecto caverit. *d. l. 1. §. 14.*

SECTIO V.

Recensens actiones quasdam possessorias, quæ unà proprietatis causam, minus tamen principaliter, concernunt: qualis est

1. ILla de itin. actuque priv. ref. de qua sect. præced. *n. 16.* 2
2. Act. ex Interd. de aqua ex castello ducenda; *l.* 3
1. §. 38. ff. de aq. cott. & l. 2. §. 2. ff. de interdict. quæ ei competit, qui jus aquæ exinde ducendæ à Principe impetravit & per aliquod temporis spatium duxit, *d. l. 1. §. 41.* contra quemvis ducere prohibentem vel impedientem, in id, ne ducenti modo supradicto vis fiat.

3. Act. ex interd. de mortuo inferendo; *l. 1. pr. §. 1.* 4
& seqq. ff. h. t. quæ ei datur, qui alicubi, ubi ipsi ejusmodi jus competit, *Hahn. ad Wesenb. ff. h. t.* mortuum vult inferre & ab alio quovis modo prohibetur, contra prohibentem, ne inferenti vis fiat.

4. Act. ex interd. de sepulchro ædificando, *l. 1.* 5
§. 5. ff. de mort. infer. ei competens, qui jus sepulturæ in eo loco habet, *d. l. 1. §. 7.* in quo novum monumentum vult exstruere, *d. l. 1. §. 6.* vel pristinum reficere, *d. l. 1. §. 9.* contra id prohibentem, ne ædificanti vis fiat.

CLASSIS III.

Exhibens actiones mixtas.

1 ET quidem mixtæ dicuntur (1) respectu subjecti (ut Dd. loquuntur) activi & passivi, iu quibus uterque litigantium jus actoris & rei habet, *l. 37. §. 1. ff. de O. & A.* ac speciali vocabulo duplices vocantur; *l. 2. pr. ff. de interd. l. 3. §. 1. uti possid. l. 2. §. 1. ff. com. divid.* in quibus tamen pro actore habetur qui primus ad judicium provocavit, *l. 13. ff. de jud.* vel, si uterque simul id egerit, is habetur actor, quem sors pro tali declaravit; *l. 14. ff. de jud.* (2) respectu causæ efficientis & subjecti passivi, quæ scil. ratione originis sunt personales, sed naturam realium in eo habent, quod contra quemvis possessorem dentur; dicuntur aliâs in rem scriptæ; *l. 9. §. fin. ff. quod met. caus.* (3) respectu objecti, quæ rem & pœnam simul, *§. 16. & 19. I. de A.* vel secundùm Dd. quoque rem & præstationes personales persequuntur; Franzk. *exercit.* 13. *q* 3. (4) respectu causæ efficientis, quæ nimirum partim ex jure in re, partim ex jure ad rem oriuntur: *§. 20. I. de A.* & hunc postremum significatum nos hoc loco agnoscimus.

2 Hujusmodi autem actiones in dicto *§. 20.* tres recensentur, quarum 1. est finium regundorum, *ff. h. t. per tot.* competens prædii rustici domino *l. 2. pr. l. 4. §. 10 ff. eod.* vel aliud jus in re habenti, ut usufructuario, emphyteutæ, creditori hypothecario *l. 4. §. 9. eod.* & similibus, *arg. d §. 9* contra confinem, limites agrorum excedentem, ut pristini limites restituantur, aut novi dirigantur, eaque pars fundi, quæ per finium constitutionem alterutrius agro accedit, eidem adjudicetur; *l. 2. §. 1. ff. eod.* fructus etiam, post litem contestatam à reo, ut & ante illam malâ fide percepti, unà cum interesse præstentur. *l. 4. §. 1. & 2. eod*

3 2. Familiæ erciscundæ, *l. 1. ff. h. t.* quæ directò datur heredi, *l. 2. pr. eod.* utiliter verò Bon. possessori, fideicommissario universali, & cui quarta ex rescripto D. Pii debetur, *arg. l. 2. §. 1. ff. d. t* post aditam hereditatem, *l. 49. in fin. ff. eod.* contra coheredem, ad dividendam hereditatem nunquam adhuc divisam, *l. 20 §. 4. ff. eod.* & communicanda commoda percepta, *l. 56 eod.* nec non impensa pro parte *l. 19. in fin. h. t.* ac damna, latâ & levi ejus culpâ data, omnino refundenda, *l. 25. §. 16. eod*, unà cum usuris à tempore moræ; *l.*

18. §.

11. §. 3. ff. eod. exemtis ab hoc judicio tum rebus perniciosis, ut malis medicamentis & libris magicis, ceu statim corrumpendis ac possidere prohibitis, *l. 4. §. 1. ff. h t.* tum nominibus sive obligationibus, per se consideratis: cùm eas, quæ indivisibiles sunt, singuli heredes in solidum acquirant, *d. l. 25. §. 9. & seqq. d. t.* divisibiles verò ipso jure, ex LL. videl. XII. Tabb. activè & passivè inter illos sint divisæ, *l. 6. C. h. t.* & quandoque per indirectum saltem, ratione nimirum cautionis, earum nomine exigendæ, in judicium hoc deducantur. *l. 3. & d. l. 25. §. 9. & seqq. h. t.*

3. Communi dividundo, *l. 3. pr. ff. h. t.* quâ directò dominus rei corporalis, *l. 4. pr. ff. eod.* in communione præter hereditatem existentis, vel utiliter etiam aliud jus in re habens, ut emphyteuta, *l. 7. pr. ff. h. t.* bonæ fidei possessor, *d. l. 7. §. 2.* creditor hypothecarius *d. l. 7. § 6. & 12.* ac usufructuarius, *d. l. 7. §. 7. & 10.* experitur contra eum, cum quo rem habet communem, sive ex contractu, sive alio legitimo modo, *arg. l. 2. pr. ff. eod.* ad eam dividendam, habita etiam ratione præstationum personalium, nimirum ut reus lucrum ex re communi perceptum actori communicet, impensas ab ipso in rem illam factas pro rata, & damnum latâ vel levi culpâ datum solus refundat. *l. 3 l. 11. ff. h. t.* Hisce annumerari potest Heredit. petitio; de qua supra *Cl. 1. sect. 2. num. 2.* 4

CLASSIS. IV.

Proponens actiones præjudiciales, strictè sic dictas.

HÆ autem sunt, quæ profluunt ex eo jure, quod concernit hominis statum, itidem strictè dictum, nempe libertatis, civitatis, vel familiæ; *l. ult junct. l. 1. ff. de cap. min. pr. & t. t. inst. eod;* qualis est & quidem ratione libertatis. 1

1 Actio Liberalis, *§. 13. inst. de A. l. 24. ff. & l. 14. C. de lib. caus.* quæ olim dabatur domino contra servum, se servum esse negantem, ut actor dominus declararetur & reus in servitutem rediret, & vice versâ servo contra dominum, ut actor declararetur liber & reus è servitute ipsum dimitteret; quam actionem hodie, cessante servitute, utiliter saltem exerceri contra homines, ut vocant, proprios, Germ. leibeigene Leute / tradit Herm. Stamm. *de servit. person. lib. 3. c. 36. & seq.* Vultej. *jurispr. Rom. lib. 2. c. 5. §. 13.* 2

2. Actio ingenuitatis, *l. fin. ff. si quis ingen. l 18. pr. ff de probat.* quâ quærebatur olim, utrum quis ingenuus an libertus esset, adeoque patrono contra libertum, vel liberto contra patronum competebat, ad vindicandum vel jus patronatus, vel jus ingenuitatis, simili modo, ut in proximè præcedenti actione dictum. 3

Ratione familiæ verò (in speciali scilicet vocis ad personas relatæ sensu) 4

ſu) introducta eſt 1. Actio de partu agnoſcendo ſeu, ut vocant, de paternitate, *l. 1. §. 12. ff. de agnoſc. & al. lib.* quæ datur mulieri contra maritum, negantem, partum ex ipſa editum eſſe ſuum, ut eundem pro ſuo agnoſcat; *l. 3. §. 1. ff. eod.* mortuoque marito adverſus avum partus, in cujus poteſtatem recidit, actio hæc competit. *d. l. 3. §. 2.*

5 2. Datur Actio de filiatione parentibus adverſus liberos, ſe tales eſſe negantes, ad id, ut illi ipſorum liberi declarentur; *arg. l. 5. §. 8. ff. de agnoſc. & al. lib.* Et vice verſâ actio hæc tribuitur liberis contra parentes, ſimiliter ſe gerentes, ut illi ipſorum parentes declarentur. *arg. d. l. 5. §. 8.*

6 3. Similis actio præjudicialis competit contra conjugem, ſe talem eſſe negantem, *l. 3. §. 4. ff. d. t.*

7 Cæterùm hinc conſequens alimentorum præſtatio, dictis perſonis, ſi fuerint egenæ, debita, *l. 5. §. 1. ff. de agnoſc. & al. lib. & t. t. C. eod.* perſecutione extraordinariâ ſeu imploratione Nob. officii judicis petitur, *arg. l. pen. C. de patr. poteſt. conf. l. 3. ff. ubi pup. educ.* Ioh. Petr. Surd. *de aliment. tit. 3 q. 1. ſecundùm plures ibid. cit.* qui detrectantem, pro modo facultatum, pignoribus captis & diſtractis ad eam cogere poteſt; *l. 3. §. 10. ff. de agnoſc. & al. lib.* cujuſmodi in caſu etiam in Camera Imp. mandata ſine clauſula decerni, refert Petrus Frider. *de proceſſ. & mandat. lib. 2. c. 54. pr.*

8 Hiſce affinia ſunt ſeqq. remedia, ceu ad jus perſonarum itidem ſpectantia: ut interdicta illa duo de liberis exhibendis, *l. 1. pr. ff. h. t.* & ducendis, *l. 3. pr. ff. eod.* quorum loco actio ei competit, qui liberos in poteſtate habet, *d. l. 1. §. 1* contra eum, qui ſciens liberos invitos, *l. 5. ff. eod.* ſine ſpeciali etiam legis permiſſione, *d. l. 1. §. 3.* quantumvis ex juſta & probabili prætenſa cauſa, *d. l. 1. §. 2.* apud ſe detinet, ad hoc, ut eoſdem exhibeat, vel abducere permittat.

9 Huc etiam refertur Interdict. illud exhibitorium, ex quo maritus contra ſocerum agere poteſt de exhibenda ſibi & ducenda uxore, invitò detenta; *l. 2. junct. l. 1. §. ult. de lib. exhib. it. l. ult. C. eod.*

10 Quòd ſi verò liberi ſuâ ſponte ſint apud alium, non actioni huic, ſed implorationi Nob. off. judicis locus erit. *arg. l. ult. junct. praced. l. 3. §. 3. ff. de lib. exhib.* De uxore, apud alium ultrò degente, par eſto judicium; *arg. dd. ll.* Ant. Perez. *in Cod. h. t. num. 7.*

11 Contra quam etiam vi juris perſonarum conjugalis, in perpetua vitæ conſuetudine & cohabitatione conſiſtentis, actionem quaſi præjudicialem ex c. illud 11. X. de præſumpt. ob cauſam 1. *ad Corinth. 7. v. 3.* expreſſim, ut marito cohabitet, competere, aſſerit Hahn. *ad π. Weſenb. de ſponſal. circa fin. verſ. illud quoque ad effectum. ſecundum alios ibid. citatos.*

F I N I S.

